

ratione assequi mihi licuerit. Elegantissimum ergo Oratorem si heic aut tenebrosum aut caespitantem quandoque sentias, ne viro illo doctissimo, sed furciferis iis Librariis tribuito, qui quae minus intelligunt, pejus describunt. Malui ergo non pauca, ut erant, incomposita relin-
5 quere, quam nimis audaci conjectura restituere & expurgare, ne Lec-
tores dum Vergeriana se legere putant, mea forte unice legant. Haec
sane qualiacumque sint, habere praestat, quam nulla. Ab edenda Ora-
tione *de laudibus Divi Hieronymi*, quae in eodem Codice legitur, abstinui,
tum quod nulla ex parte ad institutum meum spectet, tum etiam quod
10 nihil nisi vulgaria, eaque ne a fabulis quidem immunia, exhibeat: Atque
ex his paucis intelligere iam possis, quam non immerito celeberrimus
vir Guarinus Veronensis in Epistola, cuius laciniam protulit Clariss.
Mabillonius pag. 18. Itin. Ital. in haec verba scripserit, de Manuelis Chry-
solorae Epitaphio loquens: *Quod e Constantia vir gravissimus, & in omni*
15 *literarum genere eruditissimus vir, Petrus Paulus Vergerius ad me misit*
ab eodem, ut arbitror, confectum⁽¹⁾. En quanti vel tum fieret ingenium
ac eruditio Vergerii.

(1) Cf. l'epist. CXXXVI, p. 357, nota.
